

sam committere, quin prius præfigat quatuor, aut sex menses Ordinario ad expediendam causam.

105 Unde debet apparere de culpa, & de negligentia Ordinarii, ex quo sequitur, quod si causæ expeditio longius protrahatur ex quocunque capite, quam ex Ordinarii negligentia, tunc non est locus avocationi, ut si propter causæ gravitatem, si propter partium malitiam, vel Procuratorum cavillationes &c. ad latè allegata per *Barbosã ad dictum c. 20. num. 14. & seqq.*, ubi *nu. 16.* ad convincendam negligentiam Ordinarii, an requiratur una, vel plures protestationes remissive ad *allegat. 81. num. 9. in fine de officio, & potestate Episcopi, Scaccia de appellat. q. 17. ampliãt. 16. num. 50.*, ubi quod requirantur tres præmonitiones, vel una pro tribus, idest tres unico contextu factæ, *Rota coram Ortembergo loco infra citando num. 2.*

106 Hinc sequitur, quod Episcopus non convincatur de negligentia per viam quærelle, sed per præfixionem termini. *Abbas in c. post quàm de elect. in fine, & in c. 2. nu. 12. de concess. prebend., Marchesian. de commiss. super desertionem causarum p. 2., ubi, decis. Ortembergi. num. 3. folio mibi 84.*

107 Tandem Episcopus negligens acquirere hæreditates, aut legata relicta Ecclesiæ suæ peccat, maximè quoad successiones, quæ de jure inducuntur, quando Episcopus est regularis, quia tunc acquiritur Ecclesiæ ipso jure *Barbosa in c. Statum 18. q. 1., Capijuchus controversia 30. S. 4. Verj. idem habet, Burat. decis. 623.*

108 Clari Juris est, quod fideles prohibentur audire sacra per Sacerdotem notorium concubinarium celebrata, vel sit notorius Juris, vel facti: *c. nullus c. Præter hoc dist. 32., sed D. Thom. quodlibet xi. art. 8., querit, quid si Episcopus negligat eum corripere, sed tolerat, vel timore ductus, vel muneribus excæcatus, vel quia omninò curam negligit, an negligentia Episcopi in deturbando hujusmodi concubinatu pariat hunc effectum, ut liceat fidelibus ejusdem concubinarii interesse officii, & resolvit non licere, tum quia ex parte Episcopi negligentia illa non excusat, quin teneatur reddere rationem de animabus illis, & de scandalo, ac cæteris malis, quæ ex inde sequuntur, neque ex parte populi, quia dum lo-*

quimur de concubinato notorio bene constat, aut constare debet fidelibus, quod Episcopus negligens de sua negligentia culpatur, ita & ipsi ex negligentia Episcopi, non possunt excusationem legitimam erueri, ut clarè declaratur in *c. Vestra duxit, & c. quæsitum de cobabita. Cleric., & mulier.*, ubi quod tolerantia Episcopi eatenus excusat fideles, quatenus concubinatus Sacerdotis non est notorius, sed aliqua tergiversatione celari potest, secus ubi notorius est.

Notandum tamen est, quod notorietas facti, intelligitur de notorietate facti denunciati, ut habetur per *Extrav. ad evitanda &c., editam à Martino V. in Concil. Constantien., & à Leone X. in Concil. Lateran. confirmatam*: Propterea si Sacerdos non sit denunciatus, talis obligatio fidelibus non apparet; ut præter *Fagnan. in cap. vestra de cobab. cler. num. 17.*, docent communiter *Suar. p. 3. tom. 3. disp. 18. sec. 1. §. secundo est observand., Henric. lib. 9. cap. 25. num. 12. Layman. lib. 1. tr. 5. p. 5. cap. 4. nu. 11. vers. His adde, Navar. de pœnit. distin. 6. cap. 1. §. labore, Tolet. Instruc. Sacerd. lib. 1. cap. 12.*

109 Altera est quæstio non contemptibilis, utrum ex permissione, & licentia saltem tacita Episcopi, quæ negligentiam importet, liceat Clericis maximè in ordinibus Sacris constitutis in publicis spectaculis profanis musica carmina decantando Uulgò dramata musicalia, partes assumere, & recitare, puta personam Principis, vel Jovis, Mercurii, & similes representando, ita ut saltem Episcopus tacitè permittendo, non prohibendo, non reprehendendo, non puniendo, non sit negligens, vel potius è contra tacendo, & non prohibendo negligentia culpa notetur, & quatenus &c. an sit culpa gravis, & mortalis, an levis, & venialis.

110 Et videretur forsàn dicendum Episcopu tacendo, & permittendo nullam incurere culpam, tum quia praxis docet, quod frequenter apud Principes, & magnates, hujusmodi musicalia dramata recitantur Sacerdotes in arte musica peritiores invitantur, vel ut tamquam in arte magistri disponant sonoro metro carmina à poetis composita, vel ut recitent in scena, neque apud fideles, & pietate insignes viros de hoc, aut scandalum, aut scrupulum faciunt. Tum quia talia dramata musicalia

non

non sunt spectacula, quæ notent recitantes infamia, ut notant comediarum; tum quia honestis carminibus, honesto ornatu, quæ mores corrumpere non valent, representantur; Tum quia existimatur prudentum judicio, tunc magis elucere, & ostentari peritiam artis musice, & virtutem Eutrapeliæ ibi potissimum locum habere; hinc ad talia musicalia spectacula solent convenire ferè semper honestissimæ Matronæ, mundæ virgines, quia communi calculo creditur abesse, quæ bonos mores maculent, immò, & ex hierarchia Ecclesiastica de omni gradu, & dignitate ad ea convenire conspiciuntur, neque Episcopi, aut puniunt, aut conqueruntur, licere ergo suaderi potest, & consequenter Episcopos non teneri, aut prohibere, aut punire, tolerando pariter negligentia non posse notari.

111 Fateor, heu dolenter, fateor, sacros ministros, quandoque in theatro decantasse, ex eo tamen non posse assumi argumentum, quod licitè fecerint, neque quod Episcopi non corrigentes, non prohibentes, gravi careant culpa, nam omnimodè illicitum est, & sacris canonibus prohibitum, quia contra honestatem ordinis Ecclesiastici, & quia sacram Sacerdotis dignitatem valde dehonestat, ut habemus in *c. Cum decorem de vita, & bon. Cler.*, certum est enim, quod ista dramata profana musicalia, & theatraalia dehonestarent Ecclesiã, si in ea recitarentur, quia diminuerent, & sædarent Sanctitatem loci, in quo sacrificia summo, & vero Deo celebrantur, de quo scriptum est, *Domus mea Domus orationis*, quanto magis dehonestant Sacerdotis personam, in quo sanctitas, & honestas major requiritur, dum ipse Sacerdos sacra pertractat, & loci sanctitas ordinatur ad sanctitatem Sacerdotis, idè scriptum est *locus iste Sanctus est in quo orat Sacerdos.*

112 Solum permittitur Clericus rerum piarum representationes facere, ut solemnitatum fidei nostræ, passionis D.N.J. Christi, vitæ alicujus Sancti, quia ista potius inducunt spectatores ad compunctionem, quam ad lasciviam, vel risum, & voluptatem, *Bellet. de disciplina Clericali. §. 25. n. 10., Ricciul. de personis, quæ in statu reprobo versantur lib. 5. c. 6. per totum.*

113 Tum quia valdè de honestat dignitatem

Sacerdotalem exire in publico Theatro ad Populi delectationem causa quæstus, dum Sacerdos voce, vita, & moribus debeat esse Dei minister, non mundi, nec vanitatum operator, *tex. elegans in c. Nullus Presbiterorum dist. 44. post medium ibi (Nec plausus, & risus inconditos, & fabulas inanes ibi referre, aut cantare præsumat)* ita ut *Hieronym. lib. 3. coment. ad c. 5. epistolæ ad Effesios*, notet, quod in Ecclesia neque moduli Theatrales, & cantica sint audienda, nec in tragediorum modum guttur, & fauces dulci medicamine liniendæ, & tamen tragediorum modus licet lasciviam non præferat, prohibetur locis, & personis sacris, & *D. Thom. 2. 2. q. 91. art. 2. ad secundam* explicando *tex. D. Hieronymi* dicit, idè prohiberi tantum tragediorum modo, quia Sacerdotes canerent, non propter devotionem, sed propter ostentationem, & delectationem provocandam, indicens ergo multo magis est Sacerdoti canere in Theatro, ubi solum ad ostentationem, & delectationem populi audientis, lucri gratia decantatur, & cum corporis gestu, & motu ad hujusmodi finem concinato *Barbosa de Univers. Jur. Eccl. lib. 2. c. 3. n. 15.*

114 Tum quia in Theatrum ingrediuntur ad publicum aspectum, alienam effingentes personam, sicque personati, & larvati, quod omninò Sacerdotalem dignitatem dehonestat, *c. cum Decorem de Vita, & honest. Cler., Barbosa de univer. Jur. Eccl. lib. 1. c. 40. num. 64., Ricciul. de Jure personarum in reprobo statu versantium lib. 6. c. 4. num. p. ubi num. 2., si omninò illicitum est, quod habitus Clericalis induatur à larvatis per locum, quia nimis habitus Sanctitas dehonestatur, multo magis si persona Sacerdotis larvam ipsam assumat personatus autem, & larvatus dicitur, qui foris aliud ostendit, & intus aliud sentit, *Ricciul. d. lib. 6. c. 1., dum ergo Sacerdotes in Theatro, vel Principis, vel Jovis, vel alterius assumunt, & representant personam, foris aliud ostendunt, quam intus sint, & sentiant, unde mendatium facto exprimunt ad populum delectandum: Bellet. disquisit. Cleric. de disciplina Clericali §. 23. num. 7., & seqq.* Mimi enim ars est effingere alienos mores ad delectandum, *l. Mimæ C. de Episcopali audient ubi Barbosa num. 3.**

115 Hinc est, quod tales in scena mendatia hujus-

hujusmodi repræsentantes, & populum delectantes, prohibentur ad ordines promoveri *c. Maritum dist. 33.*, & certum est, quod participant de Histrionatu, & hujusmodi recitatio musicalis in Theatro est veluti species sub histrionatus arte, tamquam sub genere, unde de illius natura, atque ignominia participant.

116 Tum quia non deest, etiam in Theatrali spectaculo, & illo musicali cantu infamiae nota afficiens congregatos ipsos recitantes, & canentes, dum inter ipsos mulieres cantatrices de honestate suspecte congregantur in opere, quarum conversatio omnibus viris reputatur maximè periculosa, sed & Sacerdotibus pessima, & omninò fugienda, nam si *Paulus 1. ad Corinth. c. 11.* iussit mulieres velato capite ingredi Ecclesiam propter Angelos, idest ne Sacerdotes in mulieres faciem intuentes invitarentur ad prevaricationem *c. Mulier il. 2. 33. q. 5.*, *Bellet. dicto tit. §. 8. num. 31.*, multò magis invitarentur in Theatro canentes, dum non solum faciem detectam fæminarum, sed eas stantes ornatas, comptas, pluries ad libitum, & aspicerent, & alquerentur, quod certò grave periculum honestatis importat.

117 Tum quia Sacerdotes ad hujusmodi theatralia invitati, pretio conducti, locant operas suas ad populum vanè delectandū, quod indignum, & indecens est, atque character Sacerdotalis in tali famulatu vilescit.

118 Nec prætereundum, quod, qui videntur, & audierunt Sacerdotem in theatro sub persona Jovis, Mercurii, vel etiam gentilium Regum canentem, si postea ad altare viderint celebrantem, soleant deridentes dicere, *audivi Missam Jovis, Mercurii &c.*, itaut tota misterii devotio vertatur in risum.

Quare non video quomodo possit Episcopus sine gravi culpa hoc negligere, & tacitè permittere Sacerdotalem dignitatem grandi hac fæditate dehonoriari; tanto gravius si positivo consensu approbare.

119 Considerabile tandem est, quod ait *D. Jo. Chrysol. homil. 3. in Act. Apost.* nempe *(non arbitror inter Episcopos, & animarum Rectores multos esse, qui salvi fiant, sed multo plures qui pereant, non tam propriis peccatis, quam alienis, quæ non curant; Quod po-*

tissimum verendum est in iis, qui non intrarunt per Ostium, sed per ambitum, & per alias vias non rectas, nam etiam si videantur præferre bonos mores, tamen difficile est ut bono per agantur exitu quæ malo sunt inchoata principio, *c. Principatus 1. q. 1. c. Miramur dist. 61.* sicuti oraculo Pontificio scripsit *Sanctissimus Leo Pontifex huius nominis primus.*

120 Et *Sanctus Carolus Borromeus*, quem pastoralis sollicitudo gloriosum effecit, in Epistola ad Battorem Cardinalem sic scribit *(Curabis familiam tuam castam, nec patieris inter domesticos tuos quem piam vivere, cuius, non modo Impudica sint facta, sed cuius etiam non sint verba, & mores ad modum pudici, habeasque domi probatæ Vitæ, Vinis, qui in hac rem invigilent, & qui se crebro de domesticorum. Vita commune faciant)* ex his dictans, quomodo potuisset alienis culpis non pregravari.

121 Super esset modo investigandum qualiter, & quando Episcopus incurreret negligentiae culpam, non reparando Ecclesiam, vel Domum Episcopalem, tenetur enim Episcopus ex fructibus suæ mensæ hujusmodi reparationes facere, clara Juris dispositione in *cap. 1. c. de bis de Eccles. edif.*, & confirmavit *Sacrosanctum Concilium Trid. sess. 21. c. 7. de reform.*

Et quidem quando redditus Mensæ, sunt pingues, & super sint ultra necessariam Episcopi sustentationem, tunc certum, & indubitanter asseritur per omnes scribentes, quod notanter habetur *ad litteram in d. c. de bis de Eccles. edificantis.*

Sed quando nam redditus super esse, & super fluere necessariam Episcopi sustentationem adhuc questio est, nam aliquibus visum est redditus superexcedere, si superexcedant congruam à *Concilio Trid.* taxatam in mille pro Episcopo, centum pro Parocho *Sess. 24. c. 13. de reform.*

Verum duæ adhuc insurgunt difficultates, prima, an immutabiliter verum sit, summam illam taxatam generaliter in omnibus Episcopatus esse tenendam, vel potius variari posse, augeri, & diminui juxta locorum, personarum, & temporum circumstantias, sicque arbitrarium sit Judici hanc congruam taxare, pro ut dixit, *Rota decif. 351. num. 3. p. 18. recent. Pignatell. tom. 8. consult. 60. n. 12. & seqq.* Arbitrarium esse

esse Judici, ita tamen ut in dubio, an aliquid superfit nec ne, inclinandum potius sit favore Ecclesiae, scilicet non excedere necessaria, ut notarunt *Bellet. de Clerico debitore §. 16. num. 2.*, & *seqq. glos.*, & *D.D. in c. extirpanda de præbend.*, *Rebus. de congrua portione num. 61.*, & *seqq.*, & *num. 80.*, *Rota in Murana Congruæ p. 13. rec. decif. 347. num. 7.*, & *in Valisoleana congruæ decif. 10. num. 4.*, & *seqq.*, *decif. 112. num. 5.*, & *seqq. p. 19. recent.*

122 Idè pluries Rota taxavit in quibusdam Episcopatus in scutis 700., *decif. 23. nu. 1.*, *11.*, & *12.*, *decif. 351.*, & *decif. 389. num. 1. p. 18. recent.*, ubi allegantur alia decisionis concordantes, quam esse minorè, quam taxari possit dixit *Rota ead. decif. 389. num. 18.*, & *19.*

Rutilius Benzonus Episcopus Lauretanus, & Recanatensis in suo speculo Episcoporum libro 2. q. 2. art. 3. in septima conclusione in fine primæ sequellæ, ait, loquendo de taxa conciliari in mille scutorum *(Judicarunt patres illi in synodo, prædictam summam necessariam esse ad sustentationem Episcopi, & hodie vix cum ductis supra mille frugaliter vita Episcopi peragi potest, ut experientia magistra ipsum erudit, videantur quæ scripti in art. de Negligentia Parochorum à n. 41., & pluribus sequentibus.*

123 Multa de negligentia Episcoporum legitur in Epistola secunda *Beati Clementis Papæ scripta ad Jacobum fratrem Domini* de sacratis vestibus, vel vasis, quam qui attente perlegerit maturius noverit, quæ mala operetur negligentia in sacris Episcopis.

124 Erit negligens, & graviter peccabit Episcopus, qui attente non curaverit, causas miserabilium personarum esse expediendas celeriter, ad notata *per Medinam de poenitentia lib. 1. cap. 16. §. 1.* & post eum *Jo. Maria Novarius tract. de privileg. miserabilium personarum privilegio 82.*, quod non solum habet locum in causis criminalibus, de quibus debet frequenter inquirere, & etiam carceres Visitare, vel visitari facere, ut impleat illud opus misericordiae, de quo in supremo Judicio Christus Judex est dicturus, *in carcere earum, & non venistis ad me,* sed etià in causis civilibus, in quibus multoties succumbit, qui non habet unde solvat advocatis, procuratoribus, & notariis, & si contingat, quod legata pia negligantur, ut nò raro, in legatis annuis missarum pro ani-

mabus purgatorii, quorum implementum post aliquos annos omittitur, vel ex oblivione, & mutatione, aut successione hæredum Juniorum, vel ex ignorantia, aut quocumque ex alio capite, tenetur ipse Episcopus etiam propriis expensis Implementum curare, poterit tamen expensas repetere, quia gefit rem utilem etiam ipsis animabus purgatorii.

125 In confirmationem supradictorum omnium referam ad litteram particulam Epistolæ quartæ *Damasi Papæ* registratæ in primo Volumine conciliorum, cujus verba de Episcopis negligentibus, & aliis officium committentibus, ut ipsi secularibus negotiis vacarent, sunt hæc *(Illi namque Episcopi, qui talia sibi præsumunt, videntur mihi esse meretricibus similes, quæ statim, ut pariunt, infantes suos aliis nutricibus tradunt Educandos, ut suam citius libidinem explere valeant, sic, & isti Infantes suos, idest populos, sibi commissos, aliis educandos tradunt, ut suas libidines explant, idest ut pro suo libitu secularibus curis inbient, & quod unicuique Visum fuerit liberius agat, pro talibus etiam animæ negliguntur, oves pereunt, morbi crescunt, hæreses, & schismata prodeunt, Ecclesie destruantur sacerdotes vitiantur, & reliqua mala proveniunt; Non taliter Dominus docuit, nec Apostoli Instituerunt, sed ipsi qui curam suscipiunt, ipsi peragant, & ipsi proprios manipulos domino representent, nam ipse ovem perditam diligenter quaesivit, ipse invenit, ipse propriis humeris reportavit, atque in tantum dilexit, ut etiam animam suam, multas sustinens injurias, multa opprobria, multasque passiones, pro nobis traderet, quid nos miseris, & desides dicturi sumus, qui etiam pro ovibus nobis commissis curam impendere negligimus, & aliis educandas tradimus. Corriganter hæc fratres necesse est, quia qui plus laborat, majorem mercedem accipiet, hæc Summus, & Sanctissimus Pontifex Damasus.*

126 Complacuit divinæ Bonitati revelare sermo suo Joanni Apostolo *Apocalypsi cap. 2.* aliquas omissiones Episcoporum, quæ sibi displicebant, post quam enim laudaverat *Angelum* idest *Episcopum Ephesi* de zelo, & patientia, addit; *sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti, memor esto itaque unde excideris, & age poenitentiam, & prima opera fac, sin autem venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris.*